Sermo ad Caesariensis Ecclesiae Plebem (Latin)

Augustine of Hippo (AD 354–430)

SermonIndex.net / Church Fathers

Sermo ad Caesariensis Ecclesiae Plebem

Alacritatem caritatis uestrae quanto gaudio suscipiamus agnoscitis. exultamus enim in domino deo nostro de quo apostolus ait: ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum. agimus ergo eidem domino et saluatori nostro Iesu Christo gratias, qui praestitit nobis, ut, antequam habeamus fratris nostri Emeriti uoluntatem, iam cognouerimus quantum diligit unitatem. quae tamen principia deus uoluerit ut de ore ipsius audiremus accipite. mox ut ingressus est istam ecclesiam, illo loco stans ubi primum coepimus cum eo colloquium, inspirante domino, qui et cor instruit et linguam regit, ait nobis: non possum nolle quod uultis, sed possum uelle quod uolo. uidete quid promiserit qui se dixit non posse nolle quod uolumus. si enim non potest nolle quod uolumus, scit quid uelimus; hoc enim uolumus quod et uos uultis, hoc omnes uolumus quod uult deus. quid autem uelit dominus occultum non est. legitur enim testamentum eius qui nos sibi fecit coheredes; in eo recitatur: pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. siue ergo cito siue sero, non potest nolle quod uolumus. moras autem aliquas nobis facit secunda sententia: possum uelle quod uolo. sic enim dixit: non possum nolle quod uultis, sed possum uelle quod uolo. potest uelle quod uult, sed non potest nolle quod uolumus. illud enim quod se dicit posse uidemus. nam uult modo quod uult, ipsum autem quod modo uult non uult deus. quid enim modo uult? esse in dissensione a catholica ecclesia, esse adhuc in communione partis Donati, esse adhuc in schismate, esse adhuc inter illos qui dicunt: ego sum Pauli, ego uero Apollo, ego uero Cephae. sed hoc non uult deus, dum increpat apostolus: diuisus est Christus? potest ergo uelle quod uult, sed ad tempus, sed ad horam uerecundiae, non ad rationem sapientiae potest uelle quod uult. nam modo hoc est quod uult et potest uelle quod uult. sed quia non potest nolle quod uolumus, nolit ocius quod uult et faciat quod uolumus. non uos ergo permoueat, fratres, aliqua morula, dum quod uult uult, sed orate ut faciat quod promisit, ut non possit nolle quod uolumus. — et ab omnibus acclamatum est: aut hic aut nusquam. — qui corda uestra declarastis uocibus, adiuuate nos et orationibus. potens est dominus, qui praecipit unitatem, mutare in melius uoluntatem. quod autem acclamauit caritas uestra: aut hic aut nusquam, uocem in illum uestrae caritatis agnouimus et amamus. hoc etiam nos non nunc primum, sed semper cogitamus, semper optamus. idem est et animus, quod praecipue necessarium est, fratris et coepiscopi nostri, episcopi uestri Deuterii. olim nobis

notus est animus eius. nobiscum preces de hac re domino fudit cum concilio, ubi hoc illis qui foris sunt promisimus et obtulimus. iam de hac re subscriptiones nostrae retinentur. numquam enim nos ita honorem nostrum fouemus, ut unitati inuideamus. minores simus honore, cum simus maiores dilectione. nouimus quemadmodum inuitanda sit infirmitas, ut perficiatur unitas.

Nec ideo dicimus haec, fratres, quasi illi, qui sub schismate remanserint, aliquam spem habeant ad dominum. multi enim disputant parum intellegentes quid loquantur et dicunt: *si schismatici sunt, si haeretici sunt, quare sic illos suscipiunt?\' audite, fratres mei. si (sic) eos susciperemus, iam istum susciperemus fratrem nostrum Emeritum, siue bonum siue malum, tamen fratrem. quod ideo dico, quia et ipse nouit per prophetam nobis dictum esse quod illis etiam in collatione diximus: dicite \'fratres nostri estis\' his qui uos oderunt. oderunt nos, credimus finiendum esse quod odiunt: tamen quamdiu odit \'frater audit. donec finiatur odium, erit nomen in testimonium. non ergo sic illos suscipimus ut sunt — absit a nobis; nam haeretici sunt —, suscipimus autem catholicos: mutantur, suscipiuntur. sed propter malum quod habent non in eis possumus persequi bona quae agnoscimus. malum enim dissensionis, schismatis, haeresis malum suum habent, bona uero quae in illis agnoscimus non sunt sua. domini nostri habent bona, ecclesiae habent bona. baptismus non est ipsorum, sed Christi. inuocatio nominis dei super caput ipsorum, quando ordinantur episcopi, inuocatio illa dei est, non Donati. non eum suscipio episcopum, si, quando est ordinatus, super caput eius Donatus est inuocatus. in errante et deserente milite crimen est desertoris, character autem non est desertoris, sed imperatoris. sed frater noster non deseruit, ubi adhuc numquam fuit, siquidem in illo desertoris error est natus, quando est a desertore signatus. qui primo schisma fecit, qui se ab ecclesia catholica separauit, cum his quos secum traxit desertor fuit. ceteri a desertoribus signati sunt, non tamen signo desertoris, sed signo imperatoris; non enim desertor characterem suum fixit. quid est quod dico: desertor characterem suum non fixit? Donatus non baptizauit in nomine Donati. nam si Donatus, quando schisma fecit, in nomine Donati baptizaret, desertoris characterem infigeret. ego quando uocarem ad unitatem, si inuenirem desertoris characterem, exterminarem delerem abolerem abicerem non approbarem respuerem anathemarem damnarem. nunc uero ipse desertor characterem fixit imperatoris sui. deus et dominus noster Iesus Christus quaerit desertorem, delet erroris crimen, sed non exterminat suum characterem. ego quando uenio ad fratrem meum et colligo errantem fratrem meum, attendo fidem in nomine patris et filii et spiritus sancti. iste est character imperatoris mei. de isto charactere militibus suis uel potius comitibus suis, ut hunc inprimerent eis, quos congregabant castris eius, praecepit dicens: ite, baptizate omnes gentes in nomine patris et filii et spiritus sancti. istum characterem a domino dictum omnibus credentibus inprimendum quia nouerat Paulus, expauescit ad eos qui uolebant esse Pauli et dicit eis: \'numquid Paulus pro uobis crucifixus est? quid uultis esse mei et non magis domini mei? quid uultis esse mei et non potius cuius ego sum? agnoscite, aduertite characterem uestrum: numquid in nomine Pauli baptizati estis?\' sic ergo eos colligimus, ut non sibi blandiantur illi quos non colligimus. et ipsi colligantur, non inflentur; ueniant, suscipientur. non in eis

odimus quod dei est, non odimus et ipsos, quia dei sunt et quod habent dei est. dei sunt, quia homines sunt et omnis homo creatura dei est; dei est quod habent nomen patris et filii et spiritus sancti: baptismus trinitatis dei est, dei est euangelium quod habent, dei est fides quam habent.

Et quid non habent, ait mihi aliquis, qui haec habent? tu dicis: habent baptismum Christi? dico. tu dicis: habent fidem Christi? dico. si ergo haec habent, quid non habent? quid est baptismus? sacramentum. audi apostolum: si sciero omnia sacramenta. multum est scire omnia dei sacramenta; quantacumque sciamus sacramenta, quis nouit dei omnia sacramenta? quid ait apostolus? si sciero omnia sacramenta, si habeam omnem prophetiam, adde adhuc: et omnem scientiam. (sed de fide dixeras). audi adhuc: si habeam omnem fidem. difficile est habere omnem fidem, quomodo difficile est noscere omnia sacramenta. et quid est quod dicit: (omnem) ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum? intendite, fratres, intendite, obsecro uos, apostoli uocem et uidete, quare cum tantis laboribus et periculis fratres nostros quaeramus. caritas eos quaerit de cordibus nostris. propter fratres meos et propinquos meos, dicit psalmus, loquebar pacem de te, ad sanctam Hierusalem loquens. uidete ergo, fratres mei, quid dixit apostolus: si habuero omnia sacramenta, omnem scientiam, prophetiam, fidem — qualem fidem? — ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil sum. non dixit: illa omnia nihil sunt,\' sed: si caritatem non habeam, nihil sum. quis enim demens diceret: nihil sunt dei sacramenta? quis demens diceret: nihil est prophetia, nihil scientia, nihil fides? non illa nihil sunt, sed cum illa magna sint, ego magna habens si caritatem non habeam, nihil sum. magna illa sunt et magna habeo et nihil sum, si caritatem non habeo, per quam mihi prosunt quae magna sunt. si enim non habeo caritatem, illa inesse possunt, prodesse non possunt.

Attende ergo, frater, attende, obsecro te. dicis mihi: quid me quaeris? respondeo: quia frater meus es. respondes mihi et dicis: si perii, quid me quaeris? et ego respondeo: si non perisses, non quaererem. quid me quaeris? dicis mihi: si perii, quid me quaeris? cum ego respondeam: quaero quia peristi. et quare quaero, quo fructu quaero? ut aliquando dicatur mihi: frater tuus mortuus erat et reuixit, perierat et inuentus est. respondes et dicis mihi: sed habeo sacramentum. habes, agnosco; propter hoc te quaero. magnam causam addidisti, quare diligentius te quaeram. ouis es enim de grege domini mei, cum signo errasti; ideo quaero magis, quia ipsum signum habes. quare unam ecclesiam non possidemus? unum signum habemus; quare in uno ouili non sumus? ideo te quaero, ut hoc sacramentum sit tibi in salutis adiutorium, non in damnationis testimonium. nescis quia desertor de charactere damnatur, de quo militans honoratur? ideo te quaero, ut non pereas cum signo. salutis enim signum est, si habeas salutem, si habeas caritatem. hoc enim signum salutis extra tibi inesse potest, prodesse non potest. ueni, ut prosit tibi quod habebas, non ut accipias quod habebas, sed ut prodesse tibi incipiat quod habebas et accipias quod non habebas. habebas enim signum pacis, ipsam pacem non habebas. in domo illa, id est in te, discordia habitabat et in limine titulos pacis figebat. agnosco titulos, sed quaero habitantem. lego titulum pacis: baptismus in nomine patris et filii et spiritus sancti. titulus pacis est, lego; quis habitet, quaero. fratrem meum attendo, titulum pacis agnosco. ipsum

et ego habeo, intrare uolo. quid est \'intrare uolo\'? fratrem me accipe, ut simul oremus patrem. \'non tecum oro\'. tituli pacis sunt, et mihi discordia contradicit? plane laborabo adiuuante domino eicere discordiam male possidentem et introducere pacem tamquam legitimum possessorem. cum ergo discordiam excludo, pacem introduco, titulos pacis quare depono? dico plane domino meo: \'o Christe, qui es pax nostra, qui fecisti utraque unum. fac nos unum, ut recte cantemus: ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum. introduc concordiam, pelle discordiam; introduc te ipsum in titulos tuos. tu mane, non alter possideat et de titulis tuis fallat. tu muta istum contradictorem, qui una hora in cruce mutasti latronem.\'

Et certe uideamus quid habes. \'habeo,\' inquis, \'sacramentum, habeo baptismum*. si dicam tibi \'proba\', ostendis mihi quid acceperis, dicis quid confessus fueris, dicis quid teneas. agnosco, non muto, non exsufflo; absit ut, cum quaero salutem desertoris, faciam iniuriam imperatori. ergo probasti mihi quod habeas sacramentum; exponendo sacramentum probasti mihi te habere fidem. proba mihi quod habeas caritatem: tene unitatem. nolo mihi dicas \'habeo caritatem\': proba. unum patrem habemus: simul oremus. quid tu dicis, quando oras, rogo te? \'pater noster qui es in caelis.\' deo gratias. secundum magisterium domini nostri addidisti: qui es in caelis. singulos enim patres habebamus in terris, unum inuenimus simul in caelis. pater noster qui es in caelis: ipsum inuocas patrem. pater noster unam coniugem habere uoluit. qui ergo adoramus unum patrem, quare non agnoscimus unam matrem? si natum te dicis de alia, et de sinu alieno ipsa te peperit. quod dixi, non omnes intellegere potuistis. nouimus per legitimas coniuges factum esse, ut etiam, qui non de legitimis coniugibus nascerentur, in eadem hereditate sociarentur. hoc uoluntas coniugis fecit. nam Ismahel exheredatus est. ipsum Sara pepererat, etsi de utero alieno. Sara pepererat utero alieno, uoto suo. ipsa enim dixit: uolo enim de ista mihi filios facias, et ideo fecit Abraham. uxor enim non habet potestatem corporis sui, sed uir; similiter uir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. nam filius esset, si non superbisset; superbus est exheredatus Ismahel. erexit enim ancilla ceruicem, ut diceretur: eice ancillam et filium eius; non enim heres erit filius ancillae cum filio meo Isaac. nam uis nosse quid ualeat pax, quid ualeat concordia, quid ualeat humilitas, et quid impediat superbia? Ismahelem exheredauit, filios autem ancillarum de Iacob, quia et illi ut nascerentur coniugia iusta uoluerunt, filios ergo ancillarum de Iacob nouimus in unam hereditatem aduocatos. simul numerati sunt omnes patriarchae duodecim; nullum ab altero uteri diuersitas separauit, quia omnes caritas sociauit. quid interest ergo ubi baptismum acceperis? baptismus meus est, dicit tibi Sara, baptismus meus est, dicit tibi Rachel. noli superbire, ueni ad hereditatem, maxime quia ipsa hereditas non est illa terra quae data est filiis Iacob. filiis Israel data est terra; quanto a pluribus possidebatur, tanto plus angustabatur. hereditas nostra pax uocatur; testamentum lego: pacem meam do uobis, pacem meam relinquo uobis. simul teneamus quod diuidi non potest. non eam angustat numerosus possessor, quanticumque uenerint, sicut promissum est: sic erit semen tuum tamquam stellae caeli et sicut arena quae est ad labium maris. in semine tuo benedicentur omnes gentes. et uidi, inquit in Apocalypsi, multos in stolis albis et habentes palmas, quos numerare nemo potest, uenientes ex

omnibus gentibus. ueniant, pacem teneant. angusta non fit nostra possessio; angustias non facit nisi sola dissensio. ecce, fratres mei, ut angustias adhuc patiamur, dissensio facit fratris nostri: consentiat in pace, et facta est latitudo.

Sed quid faciamus, nisi fraternam infirmitatem feramus et non deficiamus? sudor iste meus credimus quod erit fructuosus. dominus deus noster, qui uoluit ut ueniremus ad uos, qui iussit ut eum quaereremus, qui fecit ut eum interim facie tenus inueniremus, adiutos orationibus uestris faciet nos inuenire cor eius, laetari de concordia eius, gratias agere deo de salute eius, quam non potest habere nisi in ecclesia catholica. extra catholicam ecclesiam totum potest praeter salutem: potest habere honorem, potest habere sacramenta, potest cantare alleluia, potest respondere \'amen\', potest euangelium tenere, potest in nomine patris et filii et spiritus sancti fidem habere et praedicare, sed nusquam nisi in ecclesia catholica salutem poterit inuenire. transeunt enim omnia ista, fratres mei. modo putat quia magnus erit apud suos, si non consenserit et dictus fuerit martyr partis Donati. absit! tollatur in nomine domini de corde eius iste typhus. nouit et ipse, legit et ipse: si tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. ego non dico: si aliquas iniurias quasi iactet se passum esse pro parte Donati aut aliqua damna terrena, nihil ei prodest. ego plus dico: si patiatur foris inimicum Christi, non catholicum fratrem suum quaerentem salutem eius, sed inimicum Christi si foras patiatur et dicat ei foras ab ecclesia Christi inimicus Christi: \'pone thus idolis, adora deos meos\', et non adorans occidatur ab inimico Christi, sanguinem fundere potest, coronam accipere non potest.

Ipsi nouerunt, quando in collatione nostra fuerunt quam Carthagine habuimus, quomodo confessi sunt, quia parentes eorum fecerunt persecutionem Caeciliano episcopo. tunc a catholica discordantes schisma fecerunt. persecuti sunt illum parentes ipsorum, id est primi qui fecerunt partem Donati persecuti sunt Caecilianum. perduxerunt illum persequendo usque ad iudicium imperatoris, miserunt crimina ipsius imperatori, quae uera non existebant. iussit audiri causam imperator. audita est apud episcopos, falsa illa crimina inuenta sunt, absolutus est Caecilianus. nec illi a persequendo destiterunt, sed imperatorem saepe interpellauerunt, ubi postea iudicem causae constituerunt et ipse inter partes audiuit et cognouit. cognouit imperator, innocentem Caecilianum iudicauit. et cum hoc obiceremus, contenderunt nobiscum et dixerunt, quia Caecilianum damnarit imperator in exilium. quod falsum est. sed tamen uidete quid dixerunt, quia persequentibus maioribus suis adductus est ad imperatorem Caecilianus et missus in exilium. gesta legimus, prosecutiones ipsius sunt, manus ipsius tenentur subscribentis uerbis suis. intendite, obsecro uos, diiudicate modo causam nostram. certe persecuti sunt maiores sui Caecilianum, certe ad imperatorem perduxerunt, certe ut damnaretur fecerunt. nolo dicere quia non est damnatus, nolo dicere quia innocens est pronuntiatus, sed hoc sit quod dicunt. quando eum persequebantur, quando damnari fecerunt, tunc quid erat Caecilianus? quando persecutionem patiebatur a maioribus istorum, quid erat? dicatur mihi: quid erat? christianus erat? catholicus erat? aut quid erat? non dicunt non erat catholicus\', sed \'criminosus\'. possunt ergo pati persecutionem a sanctis homines criminosi. prorsus hoc accipiamus: criminosus erat Caecilianus qui persecutionem patiebatur. sic enim non dico (mentiebantur>,

sed \'fallebantur\', ut et nos illis consentiamus: \'criminosus erat\'. qui faciebant quid erant? quod uis elige. si iniqui erant, desere iniquos, ueni ad nos; si autem sancti erant, potest ergo fieri ut sancti persequantur iniustum. noli nobis irasci, si persequimur, noli dicere: iniusti estis qui persequimini. iam enim ostendistis, quia fieri potest ut et iusti persequantur iniustum. fieri potest aut non potest? unum de duobus dicatur mihi. si fieri non potest, quare uestri persecuti sunt Caecilianum? si autem fieri potest, quid miraris? quid laudas poenam et non ostendis causam? beati, ait dominus, qui persecutionem patiuntur. adde: propter iustitiam, et separasti latrones, separasti maleficos, separasti adulteros, separasti impios, separasti sacrilegos, separasti haereticos. tales persecutionem patiuntur, sed non propter iustitiam.

Et tamen qualem persecutionem patitur frater noster, qui adductus est ad nos? ipsa est persecutio gloriosior; de illa prorsus profiteor. reprehendat qui uult: talem persecutionem profiteor. psalmum lego: detrahentem proximo suo occulte, hunc persequebar. si recte persequor occulte proximo detrahentem, non rectius persequor dei ecclesiam publice blasphemantem, quando dicit non est ipsa\', quando dicit \'nostra est quae in parte est\', quando dicit ilia meretrix est\'? ergo blasphemantem ecclesiam non persequar? persequar plane, quia membrum sum ecclesiae, persequar plane, quia filius sum ecclesiae. ipsius uoce ecclesiae utor, ipsa ecclesia per me dicit in psalmo: persequar inimicos meos et comprehendam illos, et non conuertar donec deficiant. deficiant in malo, proficiant in bonum. fratres, ne putetis aliquid nonum factum esse fratri nostro. pars Donati quando praeualebat Constantinae, laicum nostrum catechumenum natum de parentibus catholicis Petialius tenuit, uim fecit nolenti, scrutatus est fugientem, inuenit latentem, extraxit pauentem, baptizauit trementem, ordinauit nolentem. ecce qualem uiolentiam fecit in nostro! rapuit ille ad mortem: nos non trahimus ad salutem?

Haec locutus sum caritati uestrae propter illud quod dixistis: aut hic aut nusquam. hoc enim et nos uolumus, ut \'hic hic\' sed in pace, hic hic\' sed in unitate, \'hic hic\' sed in caritatis societate. tunc bene (hi c). nam (si non sic), melius \'nusquam\' quam hic). sed praestet dominus, ut hic) potius quam \'nusquam\'. si non \'hic\', absit ut non alibi, absit. hic aut alibi. audistis, audiuit. quid in eius animo deus egerit, ipse nouit. nos enim aurem forinsecus percutimus, ille nouit intus loqui, ille intus praedicat pacem nec cessat praedicare, si audiatur. aderit misericordia eius adiuuantibus orationibus uestris, ut sit fructuosus labor noster. tamen si hodie communicare noluerit, quamuis fatigari non debeamus, sed instare quantum possumus debeamus, nec sic tamen fatigari debemus. differre possumus, auferre instantiam nostram nec possumus nec debemus. aderit ille qui huc illum ad nos perduxit, ut nos faciat cum illo in unitate uobiscum et in sua pace gaudere.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Sancti Aureli Augustini Opera*** edited by Michael Petschenig (Prague, Vienna, Leipzig, F. Tempsky, G. Freytag: 1910) Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum 53), encoded in EpiDoc TEI XML.

Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.